



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2307. Kaiser Karl bestätigt die Erbverbrüderung der Markgrafen Ludwig
des Römers und Otto in Bezug auf den Herzog Bolko von Schweidnitz und
den Markgrafen Johann von Mähren, am 18. März 1363.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

dum, centum armigeros galeatos, viros fideles, ac in equis et armis bene munitos, quorum quilibet habebit unum socium armatum, & tres equos, ad quascumque partes Italiae eidem ecclesiae contra rebelles & hostes, & alias, prout fuerit expediens, fideliter servituros destinabimus, eosque per duodecim menses integros continuos vel interpolatos, secundum eorundem requirementum voluntatem, inchoandos a die, quo iidem galeati intrabunt terras praefate Romanae Ecclesiae, in huiusmodi servitio retinebimus; eisque de stipendiis & emendis, ac paghis duplis, si faciende occurrerint, providebimus, nostris sumptibus & expensis. Datum Monaci, Frisingensis dioecesis, penultima die mensis Augusti, anno Domini MCCCLVIII.

Nach Einig's Spicileg. ecclesiae Cont. p. 80 (P. XIX).

2307. Kaiser Karl bestätigt die Erbverbrüderung der Markgrafen Ludwig des Römers und Otto in Bezug auf den Herzog Bolko von Schweidnitz und den Markgrafen Johann von Mähren, am 18. März 1363.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis feliciter Amen. Carolus Quartus, divina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus et Boemie Rex, ad perpetuam rei memoriam. Constituti pridem in nostre Maiestatis presentia Illustres Ludouicus Romanus et Otto, fratres, Marchiones-Brandenburgenses et Lusatiae, Sacri Imperij Archicamerarij, Comites Palatini Rheni et Bauariae Duces, ab una, Et Illustres Bolko, Dux Schletzie, Dominus Swidnicensis et in Jawor, Et Johannes, Marchio Moraviae, parte ab alia, Principes et fideles nostri charissimi, nobis in folio Imperiali sub apparatu Caesareo cum solemnitate consueta sedentibus, in presentia multorum Principum, Comitum, Baronum et Procerum Sacri Imperij, et circumfusa plebis multitudine copiosa, quandam literam sigillatam sigillis dictorum Ludouicij et Ottonis, Marchionum Brandenburgensium et Lusatiae, votis communibus, cum debita Reuerentia presentarunt, supplicantes attente, Quatenus eandem literam et ordinationem ac etiam quelibet in ea contenta approbare, ratificare et confirmare de benignitate solita dignaremur, cuius tenor per omnia sequitur in haec verba.

Nos Ludouicus Romanus et Otto, fratres, Deij gratia Marchiones Brandenburgenses et Lusatiae, Sacri Imperij Archicamerarij, Comites Palatini Rheni et Bauariae Duces, notum facimus tenore presentium uniuerfis. Quia pridem in presentia Serenissimi ac Inuictissimi Principis et Domini, Domini Caroli quarti, Divina fauente Clementia Romani Imperatoris semper Augusti Et Boemie Regis Illustris, Domini nostri gratiosi, Animo deliberato, sano fidelium nostrorum accedente consilio, bona voluntate ac de certa scientia, Illustrem Principem Dominum Wencellaum, praefati Imperatoris Domini nostri primogenitum, et omnes eiusdem Domini nostri Imperatoris heredes masculini sexus, quotquot habuerit Domino concedente, et eo-

rundem heredum heredes ac proheredes, Et illis omnibus non extantibus, Illustrem Principem Dominum Johannem Marchionem Morauie, et suos heredes ac heredum heredes et proheredes sexus masculini, in perpetuum in nostram fraternitatem et hereditagium accepimus et assumimus, Vt ipsi una nobiscum in proprietatibus feudorum, Dominiorum, Principatum et dignitatum omnium, ex nunc in antea Marchiones Brandeburgenses et Lusatie sint et esse debeant, Et quod ipsi omnes et eorum quilibet, quotquot etiam fuerint, se Marchiones Brandeburgenses et Lusatie reputare, tenere, nominare, intitulare et scribere possint et debeant, Quodque Marchionatum et Principatum Brandeburgensium et Lusatie signa et Armaturas in Banderijs et alias more Principum ad omnes necessitates suas, honores et dignitates, quemadmodum nos, iuxta beneplacitum suum, uti possint et ea erigere, ad instar felicitis memorie Marchionum Brandeburgensium et Lusatie predecessorum nostrorum, iuxta beneplacitum sue voluntatis. Et quia prefato Domino Wenceslao, Domini Imperatoris nostri primogenito charissimo, fratri et coheredi nostro, et omnibus prefati Domini nostri Imperatoris heredibus masculini sexus, quotquot tales habuerit in futurum, et heredum ipsorum heredibus et proheredibus, Et eis omnibus non extantibus Illustri Principi Domino Joanni, Marchioni Morauie et suis heredibus ac proheredibus masculini sexus bona nostra voluntate fauimus, quod Illustres Principes Dominus Bolko, Dux Sclesie, Dominus in Schwidniz et Jawr, et prefatus Marchio Johannes Morauie feuda, Principatus et Marchionatus predictos nominatim et expresse ad manus Charissimi fratris nostri Domini Wenceslaj et omnium eorum, quos hoc valet contingere, sicut expressatur superius, rationabiliter et rite suscipere, Et quia nos omnia feuda predicta bona voluntate cum vexillis Marchionatum Brandenburgensium et Lusatie et cum ceteris solemnitatibus et Ceremonijs consuetis Domino nostro Imperatorj resignauimus, Ac ipse Dominus Imperator eadem feuda ad nostre petitionis instantiam contulerit omnibus supradictis, Ea conditione, quod nos et ipsi feuda predicta pariter tenere debeamus et habere, Nos videlicet Marchiones Ludouicus et Otto ac nostri heredes et proheredes masculini sexus utili possessione et Dominio, Et ipsi eo modo quemadmodum superius et inferius est expressum; Quapropter bone voluntatis nostre existit, et animo deliberato fidelium nostrorum accedente consilio, de certa nostra scientia rite volumus, quod in eum casum, ubi nos prefatos Marchiones Ludouicum et Ottonem non relictis nostri corporis heredibus masculini sexus, mori contingeret, vel si habitis heredibus, iidem heredes non relictis heredibus sui corporis sexus masculini, decederent, quouis etiam tempore illud contingeret euenire, quod statim prefati Marchionatus et Principatus Brandenburgensium et Lusatie, Cum Archicamerariatu Sacri Imperij et voce eligendi Romanum Regem ad Imperium promouendum cum omnibus feodis, Dominijs, Libertatibus, Dignitatibus, honoribus, terris, hominibus, Vassallatibus, Judicijs et omnibus pertinentijs, quibus etiam valeant expressari, vocabulis nullo penitus excepto, ad prefatum Dominum Wenceslaum, fratrem et coheredem nostrum charissimum, et alios prefati Domini nostri Imperatoris heredes masculini sexus, quotquot fauente Domino habuerit, et heredum suo-

rum heredes et proheredes, et eis omnibus non extantibus ad Illustrem Principem Dominum Joannem, Marchionem Morauie, et heredes ac proheredes suos masculini sexus in perpetuum libere absque errore seu impedimento quolibet deuoluantur. Sique nos aut heredes nostros relictis filiabus mori contingeret, tum ipsi omnes filias nostras decenter, veluti Principum filias maritari debebunt, Ita quod earum cuilibet decem millia sexagenarum grossorum Pragensium pro dote parata pecunia erogentur. Nosque prefati Marchiones Ludouicus et Otto, et heredes nostri sexus masculini, utilitate, Dominio et possessione Marchionatum Brandenburgensis et Lusatie, nec non uoce eligendi Romanum Regem ad Imperium promouendum, et omnibus dignitatibus et honoribus pacifice et absque impedimento gaudere debemus totis temporibus vite nostre, saluo etiam dotalitio Illustris Principis Domine Ingborg, Marchionisse Brandenburgensis et Lusatie, consortis nostre charissime, penes quod ipsa absque impedimento quolibet remanere debeat, prout illud actu institutum et conscripsimus, aut in futurum instituerimus seu duxerimus conscribendum. Promittimus etiam bona nostra fide absque omni dolo Illustribus Principibus Domino Bolkoni et Marchioni Johanni prefatis, quod efficere et procurare volumus absque dilacione qualibet, quod omnes subditi nostri, Principes, Comites, Barones, Liberi, Milites, clientes, Judices, Magistri Ciuitatum, Consilia, Scabini et Communitates seu Vniuersitates Principatum, Terrarum et Ciuitatum Marchionatum Brandenburgensis et Lusatie omnes pariter obseruationem ordinationis precedentis de verbo ad verbum prout expressatur superius promittent, jurabunt et desuper homagium solitum facient, ac literas suas cum appensis suis sigillis, dum a Domino nostro Imperatore seu prefatis Principibus Duce Bolkone et Marchione Johanne moniti fuerint, absque dilacione et impedimento quolibet desuper erogabunt. Ideoque prefato Domino nostro Imperatorj humiliter et cum omni diligentia supplicamus, quod ipse nomine Sacri Romani Imperij ac de plenitudine potestatis Cesaree, ordinationem predictam, de verbo ad verbum, prout expressatur superius, confirmare et approbare dignetur de gratia specialj, sicut hoc iuxta morem, honores et dignitates Imperij sub forma unquam poterit fieri meliorj. Rogamus etiam venerabiles et Illustres Dominos Principes Electores Imperij Ecclesiasticos et Seculares, quod in testimonium et perpetuam memoriam Ordinationis predictae suas velint speciales Literas erogare. Presentium sub nostris sigillis testimonio literarum. Datum Nurenberg, Anno Domini millesimo Trecentesimo Sexagesimo Tertio, Sabbato ante Dominicam qua cantatur Judica.

Nos igitur considerantes ordinationem huiusmodi Imperiali quidem honori et Reipublice ordinato profectu congruere, Cum supplicationes predictae de fonte rationis emanent, et iusti petentibus non sit denegandus assensus, animo deliberato, sano Principum Electorum et aliorum Principum, Comitum, Baronum et Procerum accedente consilio, de certa nostra scientia et de Imperiali potestatis plenitudine, supradictam ordinationem et omnia in ea contenta de verbo ad verbum, prout expressantur superius, approbamus, ratificamus Et de solita benignitate Cesarea confirmamus, suppletes

omnem defectum, si quis in premissis obscuritate, defectu seu dubia interpretatione verborum aut sententiarum aut alia quavis ratione compertus fuit, de plenitudine potestatis Cefaree ut prefertur, Non obstantibus legibus, constitutionibus, usibus, statutis vel obseruationibus in contrarium, quibus omnibus, si et in quantum presentibus aduersantur in aliquo, per omnia derogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre approbationis, ratificationis, confirmationis et defectuum suppletionis paginam infringere, seu ei ausu quouis temerario contraire, sub pena mille Marcarum auri purissimi, quas ab eo, qui contra fecerit, toties quoties fuerit contra factum, irremissibiliter exigi volumus, Et earum medietatem nostri Imperialis erarij seu fisci, Residuam vero partem Iniuriam passorum vsibus decernimus applicari, Ea conditione, ut eadem pena soluta vel non soluta omnia predicta in suo robore continuo perseuerent.

(Locus Signi.)

Testes huius rei sunt venerabilis Gerlacus Maguntinensis Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius, Illustis Rupertus Senior Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperij Archidapifer et Dux Bauarie, Principes Electores, Venerabiles Arnestus Archiepiscopus Pragenfis, Johannes Luthomuschelensis, Sacre Imperialis Aule Cancellarius, Johannes Olomuncensis, Fridericus Ratisponensis, Bartoldus Eystetenfis, Petrus Curienfis, Theodericus Wormatiensis et Marquardus Augustensis Ecclesiarum Episcopi, Illustres Stephanus senior et Fridericus filius eius Bauarie, Bolco Swidnicensis, Johannes Opaue, Primiflaus Thescinensis Duces spectabiles; Adolphus de Naffow, Wilhelmus de Cantzenelnbogen, Eberhardus de Wirtenberg, Vlricus de Helffenstein, Henricus de Schwartzburg et Wilhelmus de Eberstein Comites; Nobiles Vlricus de Hanow, Gerlacus de Hoenlauch, Gotzo de Brinck, Wilhelmus de Rechberg, Thimo de kolditz, Vlricus de Wfk. Magistri Imperialis nostre Camere Leopoldus de Nortenberg et Hinricus de Gigelheim Magistri coquine Imperialis, Et alij quamplures nostri et Imperij Sacri Principes, Comites, Nobiles, fideles. Presentium sub Imperiali nostre Maiestatis sigillo testimonio literarum. Datum Nurenberg, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo tertio, Indictione prima, XV Calend. Aprilis, Regnorum nostrorum Anno Decimo septimo, Imperij vero Octauo.

Aus alter Copie.